

deat, vt Cicero definit; contigit n. & Grammaticum bē-  
 medicere, & Poētā melius: & Physicum, & Theologū,  
 & vnumquemque in arte sua: & non per Rhetoricam, sed  
 per Logicam. Potius ergo *Rhetorica est ars instrumentalis ad  
 suadendum bonum, & dissuadendum malum nobis, dicendo:*  
 In mente enim per scientias Logicè suademur; sed voce  
 per Rhetoricam.

*Non ergo materia Rethorice est omnis questio*, vt Cicero  
 vult: neque enim in Metaph. intrat. Sed est suasio, & dis-  
 suasio boni, & mali; quam ornate & artificiosè dicendo  
 consequimur. Nec tamen non sit organum suadendi pro-  
 pterea quod sæpè non suadet, quoniam & Medicina nec  
 semper sanat, vel quia Æger respuit pharmaca, vel quia  
 Medicus non ex arte prorsus medicatur; aut pharmaca  
 sunt inualida.

Cum autem quis non quod bonum est suadet, sed ma-  
 lum fucatum veri coloribus, Rhetor non est, neque ex arte  
 orat. nulla enim ars, ait Chrysof. nisi ad bonum Reip. in-  
 stituta est: Ergo ex vitio suadet malum, & mentitur ex  
 mendacio, non ex Rhetorica; sicuti Medicus ex maligni-  
 tate, vel ignorantia perimit ægrum, non ex arte. Signum  
 autem quod rectè à nobis Rhetorica accipiat, illud sit,  
 quod orator disponit animos auditorum, commouētque  
 affectus primò; Quod non fieret si ob verum certaret. Af-  
 fectio enim non in verum, sed in bonum fertur. Poëtica  
 quoque mouet affectus: sed, vti demonstrabimus, est Rhe-  
 torica figurata, & ministra exemplorum ad suadendum  
 iocundè bonum, quod in iocundum vulgaribus, & deli-  
 catis esse solet.

Omnis profectò sermo ad suadendum compositus, ad  
 Rhetoricam spectat. Nam & Pater Filiis, & Pastor Pasto-  
 ribus, & Rusticus suadat Rusticis per impolitam, & natu-  
 ralem Rhetoricam, id quod per politam & artificialem  
 orator. Quemadmodum & naturali Logica discurrunt  
 Rustici, & alter alterum docet, quod verum esse norunt,  
 per argumenta nullis excolta artibus.

Nec quis putet absque Rhetorica Apostolos suafisse